



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

6. An potentiæ materiales indigeant specibus ad percipienda sua obiecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

existens id facere possit : nam quod de facto non percipiat illa, non arguit hoc, quandoquidem possit Deus ob eandem ipsam rationem, ob quam non voluit producere potentiam materialem possibilem, quæ possit sentire obiecta spiritalia, non concurrere cum potentiis de facto existentibus ad illa percipienda ; & si hoc faceret, quamvis possent percipere talia obiecta, de facto illa non perciperent.

CONCLUSIO I.

36. *Non est eadem ratio colligendi quod potentia materialis possit eleuari ad videndum obiectum spirituale, ac colligendi quod intellectus possit videre Deum intuitiue per eleuationem supernaturalem, & consequenter male argumentantur, qui ex possibilitate huiusmodi eleuationis intellectum inferunt possibilitatem eleuationis potentie materialis.*

Secunda pars sequitur ex prima. Probatur prima pars: quia intellectus potest habere aliquem actum circa Deum naturaliter, visus autem, v.g. non potest habere naturaliter illum actum circa obiectum spirituale: facilius autem est concipere quomodo aliqua potentia possit habere perfectiorem actum circa obiectum aliquod per auxilium supernaturale, quam possit naturaliter habere, si habeat naturaliter illum actum circa ipsum, quam quod possit habere aliquem actum per eleuationem circa obiectum, circa quod nullum actum potest habere naturaliter absque eleuatione: ergo non est eadem ratio de intellectu, & visu quantum ad hoc.

Rursus intellectus attingit formalitatem entis seorsim sumptam, quæ formalitas reperitur intrinsece in Deo non minus quam in creaturis; visus autem non attingit intrinsece illam formalitatem seorsim sumptam, quæ reperitur in obiecto spiritali: sed facilius est concipere quomodo possit potentia eleuari ad videnda ea quæ continentur sub quacunque formalitate quam attingit secundum se, quam ad videndas res quæ non continentur sub vlla formalitate quam attingit.

CONCLUSIO II.

37. *Repugnat vllam potentiam materialem dari, quæ possit naturaliter percipere rem spiritualement. Hæc est contra Ariagam. Probatur: quia repugnat aliqua virtus naturalis naturaliter tendens ad superfluum & inutile, & hæc ratione repugnat, quod duæ quantitates naturaliter possint poni in eodem subiecto, aut duo calores non facientes intensionem, sed si obiectum spirituale posset moueri naturaliter potentiam materialem ad sensationem, hoc contingeret: ergo. Probatur minor supponendo, quod potentia materialis, de qua hic agimus, debeat esse diuisibilis extensiuæ, & quod obiectum spirituale, debeat esse indiuisibile: nam obiectum illud deberet imprimere speciem sui toti illi potentie: sed non posset imprimere speciem indiuisibilem, quia deberet esse tota in toto, & tota in qualibet parte istius potentie; & hoc ipsum esset superfluum & implicatorium, quia esset spiritalis, & non esset: non esset ex hypothesi, esset autem propter indiuisibilitatem & aptitudinem ad occupandum locum diuisibilem indiuisibiliter: ergo deberet producere speciem diuisibilem: sed esset illa species si diuisibilis, quælibet pars ipsius debere posse representare totum obiectum, tam bene quam alie partes aut omnes simul: ergo alie partes essent superflue.*

38. *Hic tamen non obstantibus, non occurrat mihi vlla ratio conuincens, quo mirus de potentia absoluta possit visus, v.g. tendere mediante auxilio supernaturali in obiectum spirituale: neque enim vlla ratio adduci potest, ex cuius ratione sequatur contradictio, quin in ea petatur manifeste principium: sed de hoc fufius in Theologia agi solet: Et hæc sufficiant ad solutionem quæstionis pro prima parte.*

Quantum ad secundam partem quæstionis, supposito quod sensationes, sicut & intellectiones, sint qualitates absolute vt postea ostendetur, sit

CONCLUSIO III.

39. *Sensationes possunt conservari in potentiis absque ex-*

istentia obiectorum aut specierum; sed potentia tamen non possunt per ipsas videre.

Prima pars patet: quia non dependent ab obiectis aut speciebus nisi in genere causæ efficientis: Deus autem potest supplere omnem causalitatem causæ efficientis præsertim extrinsecè, qualis est obiectum & species respectu visionis.

Confirmatur: quia nulla potest assignari ratio necessariæ connexionis quoad existentiam inter sensationem & obiectum aut speciem obiecti: ergo de potentia Dei absoluta possunt separari quoad existentiam.

Probatur secunda pars: quia visio obiecti talis non potest facere oculum formaliter videntem, nisi tale obiectum secundum modum, secundum quem nata est ipsum representare, si intuitiue, intuitiue, si abstractiue, abstractiue, & hoc habet visio ex natura sua formali, non quatenus producit ab obiecto, quia quamvis ab ipso non posset produci, haberet hanc naturam, & ad hoc impertinens est, quod ab ipso producat aut non: sed non potest representare obiectum secundum esse reale proprium vt videtur intuitiue, nisi existat realiter secundum esse suum proprium, nec potest videre speciem ipsius, nisi species ipsius sic existat: ergo non potest constituere potentiam percipientem quando conseruaretur in ipsa, non existente obiecto aut specie eius.

Confirmari solet hoc: quia si posset cognitio sensus intuitiua, ac experimentalis conseruari & reddere potentiam videntem absque obiecto, non possemus ex ea colligere quod obiecta existant, quia possemus dubitare, an à Deo conseruaretur absque obiecto.

Sed hæc confirmatio non admodum fauet: nam licet non potuissimus cum euidenti certitudine probare existentiam obiectorum ex illis actibus, tamen per discursum sufficientem possemus id colligere, quia scilicet nisi constaret oppositum auctoritate aut ratione, potius deberemus dicere quod illud, quod appareret nobis actu existere actu existeret, quam quod non actu existeret: si enim licet Deus se solo posset producere ad præsentiam ignis calorem, nisi tamen constaret nobis quod ita faceret, longe melius diceretur quod non ita faceret, sed quod permetteret igni agere iuxta suam naturam.

40. *Confirmari posset vterius in sententia multorum Scotistarum: quia visio non facit videntem nisi vltra qualitatem absolutam suam sequatur ad ipsam respectus actualis tendentiæ, siue ille respectus sit intrinsecus ad huiusmodi, siue extrinsecus: sed ille respectus nequit esse absque termino suo realiter existente, ille autem terminus est vel obiectum, vel species eius: ergo nequit potentia videre absque existentia obiecti aut speciei. In hac confirmatione, illud de respectu tendentiæ superaddito actui fuit mihi semper difficile, & de eo postea agam.*

Confirmari posset tertio: quia non implicat quod visio habeat ex natura sua talem dependentiam ab existentia obiecti in ordine ad constituendam potentiam formaliter videntem, vt id non possit facere, nisi obiectum existat in se, aut sua specie: Sed hoc supposito etiam de potentia absoluta, non posset constituere videntem absque existentia obiecti aut speciei, quantumvis existeret in intellectu absque illis: ergo ita dicendum.

Sed vt verum fatear, non inuenio etiam in hac resolutione aliquod motuum conuincens: vnde satis probabilis iudicio oppositum, & magis arduum si dicatur incertum esse, an videret potentia per visionem, quæ conseruaretur in illa absque existentia obiecti aut speciei eius, illumque solum posse ea de re sententiam ferre, in quo sic conseruaretur.

QVÆSTIO VI.

An potentia materiales indigeant speciebus ad percipienda sua obiecta.

Certum est potentias materiales sensitiuas indigere speciebus expressis: nam ipsæmet sensationes, sicut & intellectiones, sunt qualitates absolute vt postea ostendetur, sit

§§ 3

quibus

Non est
eadem ra-
tio de po-
tentia in
ordine ad
percipi-
endum ob-
iectum spi-
rituale, ac
de intel-
lectu in
ordine ad
videndum
Deum.

Repugnat
potentia
materiali
percipere
obiectum
spiritali-
ter.

Non po-
telt ali-
gnari re-
pugnantia
quod vi-
sus tendat
in obiectum
spiritali.

Sensatio-
nes possunt
conseruari
in no. ex-
istentibus
obiectis.

quibus formaliter percipiunt sua obiecta, sunt quæ vocantur species expressæ. Sed difficultas est de aliis qualitatibus, quæ producerentur ab obiectis in potentiis sensitivis, ad hoc ut concurrant cum potentiis ad producendas istas species expressas, quæ qualitates vocantur species, quia aliquo modo repræsentant obiectum; & vocantur impressæ, tum quia imprimuntur ab obiectis, tum ad differentiam specierum expressarum. Inter utrasque autem species est hæc notabilis differentia, quod per species impressas potentia nihil formaliter percipiat, per species autem expressas sic.

Prima sententia est, quod non requirantur species huiusmodi impressæ in vlla potentia sensitiva externa, ita Nominales cum Occamo in 1. q. 14. & 17.

Secunda sententia est eas requiri in omnibus potentiis externis. Hanc amplectitur D. Thomas 1. p. q. 73. art. 1. cum suis communiter, quos citant & sequuntur Complutenses disput. 18. n. 7. & Aversa q. 5. sect. 1.

Tertia sententia eas requirit in visu, auditu & olfactu, hanc sequitur Toletus 2. de anima q. 2.

Quarta sententia ait visum & auditum speciebus indigere, reliquas non, ita Hurriadus disp. 12. de anima, & Arriaga disp. 4.

CONCLUSIO I.

42. Visus indiget speciebus impressis adeo, ut absque iis naturaliter nihil prorsus videre possit. Hæc est reliquarum sententiarum contra primam.

Probant Complutenses: quia sensus habet rationem puræ potentie in ordine sensibilitergo nisi prius actuetur per formas sibi proportionatas, hoc est, per species impressas non poterit producere sensationes. Probat consequentiam ex proportionem ad materiam primam, quæ quia pura potentia est, non potest concurrere ad operationem sibi propriam, hoc est, constituendo suppositum, nisi actuetur per formam. Probat antecedens: quia sicut in ordine naturali datur aliquid, quod sit pura potentia, ita etiam in ordine intelligibili, ac sensibili debet repetiri aliquid, quod sit pura potentia.

Confirmatur: quia anima mediante sensus debet fieri suum sensibile, v. g. visus videns colorem debet fieri quodam modo color, sed hoc non potest fieri, nisi quatenus recipit imaginem ipsius, v. g. speciem impressam.

Hæc probatio nullo modo placet. Respondere enim potest distinguendo antecedens: puræ potentie, quatenus ex se non includat vllum actum aut formam sensibilem; concedo: quatenus ex se non habet potentiam productivam formæ sensibilis, qua sensibiliter actuaretur, nego antecedens & consequentiam, & iuxta hoc responderetur ad probationem antecedentis.

43. Respondere potest secundo negando consequentiam, & negando esse paritatem inter materiam primam & sensum, quantum ad hoc, sed solum est paritas in quantum utraque excludit ex se formam, materia quidem formam physicam, sensus autem formam intentionalem.

Confirmatur: non licet arguere secundum adversarios ex paritate sensus ad materiam, quod ut materia nequit existere absque forma qua actuatur in genere physico, etiam sensus non possit existere absque forma, qua actuatur in genere intentionali: ergo non est servanda proportio quoad omnia inter illa.

Confirmatur secundo: ideo materia non potest concurrere ad operationem sibi propriam absque forma, quia ipsa non est causa totalis constituendi suppositum; neque aliqua alia causa præter formam ad hoc sufficiens adest: sed aliqua alia causa posset adesse, quæ cum sensu posset sufficere ad sensationem, nempe obiectum ipsum, nisi aliunde quam ex hac ratione constaret quod obiectum non posset concurrere: ergo non est eadem ratio de sensu & materia.

Ad confirmationem Complutensium responderetur sensum fieri potius obiectum per speciem expressam, quam per impressam: unde ex hoc quod fieri debeat obiectum, non sequitur necessitas speciei impressæ. Itaque in forma negatur minor, quam deberent Complutenses probare potius, quam maiorem.

44. Probant idem Auctores secundo, quia potentia est indifferens ad plura obiecta, ergo debet intrinsece determinari ad hoc, ut possit producere vnum præ aliis quia si non determinaretur intrinsece per aliquid in ipsa receptum esset æque indeterminata intrinsece ac ante.

Hæc etiam probatio non valet, negari enim potest consequentiam; nam sufficit quod determinetur extrinsece per ipsum obiectum applicatum ipsi; quemadmodum enim obiectum potest determinate ipsam ad habendam vnam speciem præ alia, ita posset determinare ipsam ad vnam sensationem præ alia, si haberet virtutem immediate concursivam cum potentia ad sensationem producendam, quam virtutem posset habere non obstante hac ratione.

Dices: potentie vitales passivæ quales sunt sensitivæ, in hoc distinguuntur à vitalibus activis quales sunt nutritivæ, augmentativæ, quod illæ antequam agant recipiant aliquam formam, & non possint agere ea non recepta, hæc vero non requirant formam vllam in se recipere, ut agant: ergo potentie sensitivæ requirunt talem formam, sed illa est species, & consequenter non poterunt agere nisi determinentur intrinsece.

45. Contra: hæc differentia utrarumque potentialium à negantibus species tam facile negari potest quam asseritur; & certe probari non potest, nisi prius probetur necessitas specierum, unde non recte adducitur ad eas probandas: nec etiam ex eo, quod sensitivæ sint passivæ, & aliæ illæ potentie sint activæ, colligi potest illa differentia, quia sensitivæ possunt esse passivæ per hoc quod actus, quem produciunt, recipiatur subiectivè in ipsis, cum tamen actus aliarum illarum potentialium non producat in ipsis subiectivè.

Dices secundo: species expressa vitalis, seu sensatio, est partus potentie, & hæc habet se instar matris: ergo debet fecundari ab obiecto, prius quam pariat seu producat illam speciem, sed non fecundatur, nisi quatenus recipit ab ipso speciem impressam.

Contra: quia, si quando dicitur speciem esse partum potentie & obiecti, intelligitur quod sit aliquid productum à potentia prius immutata per formam aliquam productam ab obiecto in illa, petitur principium in antecedenti, & facile negari potest: si aliquid aliud intelligatur per hoc, concessio antecedenti, consequentia neganda est: & nisi aliunde probetur necessitas speciei impressæ, dici potest speciem expressam vocari partum, quatenus produciatur à potentia in seipsa mediante concursu obiecti, & quia est ulterius representatio obiecti.

46. Alii probant Conclusionem ex eo quod obiectum visibile sit nimis materiale, ac improporcionatum ad producendam visionem intentionalem, quæ minus est materialis quam obiectum.

Sed hæc etiam probatio non sufficit: quia quamvis esset obiectum magis materiale quam visio; & quamvis propterea non posset producere visionem, tanquam causa totalis; tamen posset sine dubio quantum ad hoc concurrere ad ipsam tanquam causa partialis, quemadmodum species, seu actus materiales potentialium internarum concurrunt cum intellectu ad producendas species intelligibiles spirituales, secundum omnes qui admittunt illas species.

Confirmatur: quia species impressa, vel est magis immaterialis, quam obiectum, vel non est: si non est, ergo non obstante materialitate obiecti posset concurrere ad visionem tam bene quam illa species potest: si est, ergo materiale potest concurrere ad productionem minus materiali, obiectum enim concurret ad productionem illius speciei; imo est causa effectiva ipsius, & consequenter quamvis obiectum sit magis materiale, quam visio, poterit concurrere ad productionem ipsius.

47. Quid si dicas visionem esse magis immaterialem quam species, & consequenter licet obiectum habeat virtutem productivam speciei impressæ, non tamen visionis.

Contra: quia imprimis difficulter aut nullo modo potest ostendi quomodo visio sit magis immaterialis quam species:

An visio sit magis species:

Visus indiget speciebus impressis.

imma-
terialis quæ
species.

species: & deinde licet esset, adhuc non potest ostendi, cur actiuitas obiecti non possit extendere se ad ipsius productionem, si potest attingere productionem alicuius quod est minus materiale quam ipsummet. Deinde, licet ex suppositione quod, si detur species impressa, possit colligi quod visio sit minus materialis quam species, & quod ex illa maiori immaterialitate possit provenire quod non producat immediate ab obiecto; tamen nisi probetur dari speciem impressam aliunde, non poterit probari, quod visio habeat minorem materialitatem, quam de facto attribuitur speciei, & consequenter non potest probari quin ab obiecto possit produci, quemadmodum producit ab ipso species impressa.

48. Alij probant: quia alias posset obiectum videri in quacumque distantia & per medium vacuum.

Hæc ratio etiam non placet, quia quantum ad secundam partem, id non esset absurdum secundum aduersarios, nec poterit sane inconuenientia ipsius ostendi, nisi aliunde probetur necessitas specierum.

Quantum ad primam vero partem, quæ est contra experientiam, negari potest optime sequela: quemadmodum enim afferentes speciem ponunt limitatam virtutem in obiecto adeo, ut non possit æque perfectas species in quacumque distantia producere, aut vllas in aliqua: ita etiam eas negantes possunt dicere, quod obiectum habeat limitatam virtutem adeo, ut non possit æque perfectam visionem in quacumque distantia producere, aut vllam in aliqua: sed cum proportionem ad modum, quo potest species impressas producere.

Probatur ab alijs experientia illa, quæ habetur quotidie de speciebus rerum apparentibus in speculo & alijs corporibus. Sed quamvis hæc experientia conuincat forte dari species impressas visibiles aliquas, non tamen sufficit ad probandas species impressas, quæ cum potentia necessariæ sint semper ad omnes visiones eliciendas, & propterea recipi debeant in ipsamet potentia: potest enim dici quod illæ species, quæ refulcent in speculo, ac similibus corporibus, requirantur ad determinandam potentiam obiectiue ad videnda obiecta, quando ipsamet obiecta non proponuntur secundum se directe: inde vero non sequitur, quod requirantur species ex parte potentie ad producendam cum ipsa visionem; & licet in oculo ipso appareant species rerum obiectarum, tamē dubitari potest, an requirantur illæ species ad concurrendum cum ipsamet potentia, an vero ad hoc ut concurrat obiectiue cum alia potentia aspiciente ipsas.

49. Melius ergo probatur Conclusio, quia oculus ad visionem hanc præ alia producendam debet determinari ab obiecto, vel immediate concurrente cum ipsa, vel mediate, quatenus scilicet producat aliquid aliud quod determinat potentiam, neque aliter potest determinari potentia: sed non potest determinari ab obiecto immediate: ergo determinatur mediate, & consequenter datur species impressa necessario requisita ad omnem visionem nam illud quo mediante obiectum determinat, est, quod vocatur species impressa. Probatur minor, in qua est principalis difficultas huius rationis: quia obiectum, quod videtur, est semper distans à potentia: sed non potest immediate agere in distans: ergo non potest immediate determinare potentiam distantem. Probatur vltima minor, quam omnes concedunt præter Scotistas, qui putant agens creatum posse agere in distans: quia quamuis non repugnet actio in distans, & quamuis etiam fortassis de facto dentur aliquæ actiones tales, tamen obiectum visus non habet virtutem sic agendi, ut colligitur ex eo quod, si interponatur aliquod corpus opacum inter ipsum & oculum non possit determinare oculum: sed certe si posset agere immediate in oculum distantem non agendo in medium, nulla prorsus esset ratio, cur non determinaret ipsum interposito illo corpore tam bene, quam non interposito: nec concipi potest quomodo interpositio corporis vllius possit impedire actionem, nisi quatenus actio aut aliqua dispositio ad actionem per ipsum transire deberet, & non posset.

Probatur secundò, conclusio experientiis illis perspicui-

liorum, quibus applicatis melius videri possunt ab oculo aliqua obiecta, quam sine illis: neque enim huius ratio vlla potest dari nisi quod in illis producantur species diuersæ rationis siue essentialis siue accidentalis ab illis, quæ producantur in aere: ergo dantur species impressæ concurrentes cum potentia alio modo quam obiectiue.

CONCLUSIO II.

50. Probabilius est auditum indigere speciebus impressis, etiam odoratum. Hæc est communis reliquatum sententiarum contra primam, tertiam, & quartam.

Probatur prima pars potissimum, quia sonus distans auditur: ergo sicut ex eo, quod color distans videatur, colligitur visum indigere speciebus, idem dicendum erit de auditu.

Probatur solummodo secundo: quia datur reflexio soni, ut quando fit echo: sed illa reflexio non fieret, nisi darentur species impressæ soni: ergo dantur tales species.

Aliqui respondent negando minorem, dicunt enim ipsum sonum realem reflecti.

Hæc responsio refutatur ab Arriaga primo, quia alias totus aer, per quem sentitur sonus, esset plenus solo reali. Secundo, quia similiter posset quis dicere, quod colorum species non reflecterent, nec producerentur in medio, sed ipsimet colores: quod est absurdum.

Sed neutra ex his impugnationibus placet: non prima, quia qui dant prædictam responsionem, id concedunt, & supponere contra ipsos id esse falsum, absque probatione vltiori, est petere principium. Non secunda, quia si colores veri producerentur per medium, viderentur in medio contra experientiam.

Melius impugnat prædictam responsionem ex eo, quod si sonus realis reflecteretur, tum ipsamet sonus, qui pertingeret ad aures audiretur, & non sonus aliquis distans: sed experientia constat, cum fit reflexio, auditum sonum distantem, & discerni aliquantulum: unde fiat reflexio: ergo quod deferretur ad aures non est sonus realis, qui auditur, sed sonus intentionalis, seu species, per quam auditur sonus absens.

Secunda pars probatur: quia non est verisimile quod extendantur exhalationes odoriferæ à corpore odorifero ad tantam distantiam, quanta intercedit inter locum, quo vultures sentiunt odorem cadaueris, & ipsum cadauer: sed hoc esset necesse, nisi darentur species intentionales odoris: ergo dantur, & requiruntur, ut in tanta distantia percipiatur corpus odoriferum. Dixi autem requiruntur ad hoc, quia quoties ipsamet exhalationes odoriferæ applicantur, non est necessitas vllæ speciei: quod melius intelligitur ex dicendis infra de odoratu.

CONCLUSIO III.

51. Non sunt necessaria species pro gustu, aut tactu. Hæc est contra secundam sententiam, est autem iuxta reliquas sententias.

Probatur: quia hæc potentie non percipiunt, nisi obiecta præsentia, nec est consequenter vlla ratio, aut experientia, unde colligatur, quod indigeant speciebus; nec valet argumentari à potentia visua ad ipsas, quia deficit in illis ratio, ob quam colligitur necessitas specierum in potentia visua: quoties autem ob aliquam rationem specialem colligitur aliquid conuenire alicui rei, non potest bene inferri, quod illud competit alteri rei, cui non conuenit illa ratio specialis, & præsertim si competat ipsi opposita ratio, ut contingit in proposito, nam non solum gustus, & tactus non percipiunt obiecta absentia, sed percipiunt obiecta præsentia.

Obiectiones principales, quæ contra hanc Conclusionem opponi possunt, sunt rationes illæ, quibus aliqui probant præcedentem Conclusionem, quas reieci, & per refutationem illam solui possunt etiam, ut contra hanc conclusionem faciunt.

Obiectiones præterea ex Auerſa: obiectum tangibile, & gustabile non ita potentie iungitur, ut illi intus, vel illi intus vnatur: sed omnis potentia cognoscitiua suum actum elicere nata est, vel quia per se afficitur forma

determinante, vel quia est ipsi intime unitum suum obiectum, ergo requiritur species præter hæc obiecta.

Confirmatur: quia quamvis qualitas sensibilis inhaeret organo sensitivo, adhuc non sufficeret, quia omnis actus cognitionis est quodammodo à materia eleuatus: sed obiectum per se est maxime materiale: ergo per se non sufficit.

Respondetur negando minorem, neque enim debet magis coniungi quam per applicationem contiguam, nisi nata sit sentire formam in se subiectatam.

Ad confirmationem respondetur negando antecedens, si potest sentire qualitatem sibi inhaerentem: & ad probationem dico, quod actus cognitionis non sit ita à materia eleuatus, ut obiectum sensibile non possit ipsam saltem partialiter causare: nam quacumque ratione potest causari à specie impressa causata ab obiecto, posset ab ipsomet obiecto causari.

CONCLUSIO IV.

52. Potentia interna requiritur in specie Hæc est communissima omnium Doctorum, & probatur quia possunt sentire quando ipsum obiectum non existit, & quando non existit ullus actus potentia externæ: sed non possunt sentire absque specie: ergo requirunt species. Probatur antecedens experientia, qua constat quod sentiamus dormientes. Probatur consequentia, quia ex seipsis non habent sentire, quandoquidem sunt indifferentes ad omnes sensationes, sed in absentia obiectorum, & actuum sensuum exteriorum non est aliud, quod determinet ipsas præter species.

Dices hinc sequi quod non requirantur species semper, sed non haberi quia aliquando requirantur. *Contra primo* quia hoc sufficit ad intentum Conclusionis. *Contra secundum*: quia eodem modo sentiant tum, quo ante, nisi perfectius sentiant tum: ergo si tum producant sensationes suas mediante speciebus, semper debet dici, quod producant illas iis mediante.

QVÆSTIO VII.

De natura, & essentia specierum sensibilium materialium.

HÆC quæstio mouetur non solum, ut sciatur natura specierum, quas dari iam probatum est: sed etiam ut soluantur obiectiones, quas specierum aduersarij mouent contra sententiam eas asserentem ex eo, quod non possit ostendi qualis sint natura.

CONCLUSIO I.

53. Species impressa non sunt eiusdem naturæ cum obiecto. Hæc est communissima quoad rem ipsam, & licet *Complutenses disp. 18. n. 40.* asserant eas esse eiusdem rationis ex parte formæ cum obiectis, addunt tamen id non esse intelligendum absolute, & simpliciter, seu sub modo essendi naturalis: sed quodammodo, seu in esse intentionali, & representatiue: unde in re non sunt contra Conclusionem, nec consequenter contra auctores, quos impugnant; nullus enim auctor admittens species, negat illas esse eiusdem rationis representatiue & intentionali cum suis obiectis, quantum ad hoc quod possent concurrere ac determinare potentiam ad cognoscendum obiectum non minus quam si ipsummet obiectum immediate concurreret cum potentia.

Probatur Conclusio, quia si essent eiusdem naturæ cum obiectis, non compaterentur simul species albedinis, & nigredinis, quemadmodum albedo, & nigredo non compatiuntur: sed hoc est falsum.

Probatur secundum, quia sequeretur quod aer, in quo sunt species albedinis, esset albus, quod est absurdum.

Probatur tertio, quia species albedinis est qualitas intentionalis, albedo vero ipsa non est talis qualitas, sed physica & realis.

Obiicies: sunt similes formaliter obiectis: ergo sunt eiusdem naturæ cum ipsis: similitudo enim fundatur in identitate.

Respondetur distinguendo antecedens: intentionali, & representatiue, transeat: realiter & physice, nego ante-

cedens, & similiter distinguo consequens: sunt eiusdem naturæ representatiue & intentionali, transeat, physice & realiter, nego consequentiam.

CONCLUSIO II.

54. Species non facit vnum per se cum potentia, nec potentia fit per identitatem species impressa aut obiectum representatiue per speciem. Hæc etiam est communis contra *Ruinum tract. de speciebus q. 8. Complutenses disp. 18. n. 51.* qui plures pro sua sententia *Thomistas* citant.

Probatur prima pars: quia est qualitas de prædicamento qualitatis, & potentia est de prædicamento substantiæ: sed accidens & substantia non faciunt vnum per se. Antecedens quoad primam partem conceditur ab omnibus; quoad secundam vero supponendum ex dictis supra *disp. præcedenti*, ubi probatum est potentias animæ esse identificatas ipsi animæ.

Probatur secundo independenter ab illa controuersia de identificatione potentiæ cum suis subiectis: species inhaeret potentia, & educitur ex ipsius potentia non minus, quam quodcumque aliud accidens inhaeret suo subiecto, & educitur ex ipsius potentia: sed accidens inhaerens alteri accidenti non facit vnum per se cum ipso: ergo species non facit vnum per se cum potentia.

Confirmatur: quia albedo non facit vnum per se cum quantitate, quamvis inhaereat ipsi: ergo neque species cum potentia. Probatur consequentia: quia eadem prorsus est ratio, nec impedit paritatem, quod species sit quid intentionale & representatiuum, & supplens locum obiecti: hoc enim totum nihil facit ad propositum.

55. Dices: species, quatenus est accidens: non facit vnum per se cum potentia, sed quatenus representatiuum.

Contra primo: quia quod realiter est accidens non potest vlla ratione facere vnum per se cum substantia, aut cum subiecto cui inhaeret, alias posset quis dicere quod albedo ut accidens, non faceret vnum per se cum subiecto, sed ut ens, & ut disgregatum visus, quod est absurdum.

Contra secundum, quia habet esse representatiuum à differentia per quam contrahitur accidens ut sic ad esse talis accidentis: sed illa differentia est accidentalis: ergo neque etiam ut representatiuum potest facere vnum per se cum potentia, si non potest facere tale vnum cum ipsa ut accidens.

Confirmatur quia non solum accidens ut sic nequit facere vnum per se cum subiecto, sed nec vllum accidens tale quia tale, potest facere tale vnum cum illo; sed species ut representatiua est accidens tale, hoc est talis speciei distinctæ ab aliis accidentibus, quæ non sunt representatiua: ergo ut sic nequit facere vnum per se cum potentia.

Contra tertio, quia non potest facere vnum per se cum potentia secundum vllam rationem, secundum quam non coniungitur physice cum potentia nisi per inhaesionem; & ut sic coniungitur, non potest facere vnum per se cum illa: ergo non potest secundum vllam rationem facere vnum per se cum ipsa.

56. Probatur secunda pars: quia potentia & species realiter distinguuntur: ergo potentia non fit vnum per identitatem cum ipsis secundum vllam rationem.

Confirmatur: quia secundum omnem rationem species est accidens, & inhaerens potentia: ergo secundum nullam rationem fit vnum per identitatem cum potentia, quatenus vnum per identitatem opponitur vni per inhaesionem.

Confirmatur secundo, quia prorsus est intelligibile quomodo fiant vnum per identitatem, & præterea potest potentia elicere sensationem absque tali unitate: ergo non est asserenda.

57. Obiicies pro Complutensibus: in specie intelligibili (& idem cum proportionem dicendum de sensibili) per accidens est, & de materiali, si consideretur sub formalissima ratione speciei, quod sit accidens vel substantia in esse entitativo, & naturali, vel quod inhaereat, aut informet, aut quod uniatur intellectui per modum subiecti substantialiter ipsum sustentantis: ergo si sumatur secundum propriissimam rationem speciei, debet vni cum ipso per identitatem.

Potentia
interna
requiritur
species

Species
impressa
non sunt
eiusdem
naturæ
cum
obiecto.

Species
non facit
vnum per
se cum
potentia.

Potentia
non fit
vnum per
identitatem
cum
speciebus.